Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1609

Quelle:
Copyright:

XI. *fol.* 392. Index Operum magni hujus Viri, verum ob folii unius jacturam ἀκέφαλος, et nunc inchoans: *Item 29^mo Determinacio queſtionis An liceat a papa appellare. Et articuli theologie compoſiti contra petrum de luna, cuius inicium: Queritur an hec aſſercio ſit Katholica.* Ita proceditur ad num. 55. et concluditur: *Et tantum de libris latinis. Secuntur acta per eundem in gallico ydiomate.* Hic rurſus 13. recenſentur, et ſubditur: *Item 14^to Multa alia breuia ſunt eius opuſcula ſuper diuerſis materijs cauſa breuitatis hic obmiſſa que tanquam fragmenta ne pereant recollecta et in vno volumine velud in ſporta recondita magnum et gratum prebent legentibus profectus ſolacium. Vltimum Opus quod morte propinquante peregit eſt Tractatus egregius et ſubtilis ſuper cantica canticorum* (ſupra N. VIII.) *ad fratres karthuſienſes.* Addit Librarius: *In profeſto Nicolai* (anno 14) *36^to.* Itaque anno 7. poſt exceſſum illuſtris Exulis et Peregrini, qui Factionem *Angloburgundicam* fugiens etiam *Viennam* noſtram delatus benigne et humaniter habitus eſt. Ceterum Catalogum hunc Scriptorum ejus antiquiſſimum putem, quo tamen uberiorem poſtea dedit *Trithemius.*

XII. *fol.* 393. p. 2. Codici finem imponunt Adverſaria quaedam theologica levis momenti, et improbe conſcribillata.

DCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. H. 4 XV. Folior. 194. 4. maj. charactere luculento, atro perſcriptus, literis initiorum deauratis, picturatis, titulisque miniatis ſpecioſus praemiſſo IV. *Librorum* Elencho eodem, quem nunc typis expreſſum habemus, inſcribitur: *Incipit liber primus fratris thome de kempis canonici regularis ordinis ſancti auguſtini. De imitatione Criſti et de contemptu omnium vanitatum mundi.* Textus per omnes IV. *Libros* conformis eſt antiquis Editionibus, nec agnoſcit illas, ſi Superis placet, emendationes, quas e *Pariſina* a. 1773. 12. longo ordine produxit *Fr. Joſeph. Debillionus* ad calcem ſui *Thomae, Manhemii* 1780. 8. Singulis *Libris* praefixa eſt elegans Pictura, quarum ea, quae *Librum* I. antecedit, *Thomam* inſuper habitu, quem Canonici Reg. magnam partem domi deferre ſolebant, albo ſcriptioni incumbentem repraeſentat. Ad calcem habes: *Fratris thome de kempis de imitatione criſti deque contemptu mundi deuotum et vtile opuſculum finit feliciter.*

II. *fol.* 184. *Incipit tractatus de meditatione cordis magiſtri iohannis gerſon.* Tractatulus hic ſaepe *Thomae* adjunctus extat *Opp. Gerſonis* Edit. dictae *Antverp.* T. III. P. 2. *col.* 449. Ad *Gerſonem* pertinere vel illud evincit, quod *c. ult.* legitur: *Scripſi iam pluries talia — nominatim in tractatulo de Probatione Spirituum.*

Ut